


Prot. N. 01609/2023-605/23/I



DECRETUM

PAENTIENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus a Reverendissimo Patre Domino Michaële Pennisi, Archiepiscopo Emerito Montis Regalis, Assistente Confoederationis Confraternitatum Dioecesium Italiae nuper allatis, de caelestibus Ecclesiae thesauris plenariam misericorditer in Domino concedit atque impertit Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis), sodalibus praefatae Confoederationis aliisque christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsiis, a die III Iunii MMXXIII usque ad diem XVIII Maii MMXXV lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si sacrae interfuerint Peregrinationi in honorem Beatae Mariae Virginis, Matris Spei et Confraternitatis et per congruum temporis spatium preces Deo effuderint pro Italiae fidelitate ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandiis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis.

Pii sodales, senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, plenariam consequi valebunt Indulgentiam, si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, sacrae peregrinationi, coram aliqua parva mariana imagine, se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebant.

Ita peregrini ad virtutes supernaturales, praesertim Fidei, Spei et Caritatis, magis semper in actum vitae traducendas instimulabuntur, et solidabunt suam communionem cum Romano Pontifice, totius Catholicae Ecclesiae unitatis visibili fundamento.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die II mensis Iunii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

*Manus Carol. Diacope
Paenitentiarus, Praecepit*

*Christophorus Nybel
Regens*